

Indico, vel hoc collyrium iniciendum, quod ad omnem deiectionem et tormenta bene facit: acaciae, mali granati corticis usti, singulorum ℥ p. IIII, hypocistidis, rhus, quo coriarii utuntur, opii, singulorum ℥ p. VI, omphacii ℥ p. IIII et victoriati, croci ℥ p. IIII. vino austero colliguntur, fiunt collyria magnitudinis nucleorum pineorum.

Ad renum tumorem et exulcerationem,
etiam si sanguinolenta facient

CXLIII. Ad renum tumorem et exulcerationem, etiam si sanguinolentam urinam facient: rosae aridae foliorum, papaveris nigri seminis, nucleorum pineorum paria pondera contunduntur seorsum et in unum miscentur; inde datur quantum nux iuglandis ex passi cyathis duobus et aquae cyathis tribus.

CXLIIII. Alia ad renum dolorem potio, quae etiam quasi harenam sabulosam interdum detrahit: apii seminis, petroselini, anesi, singulorum ℥ p. XVI, dauci seminis ℥ p. IIII, schoeni ℥ p. VI, croci ℥ p. XXXII, mellis quod satis videbitur. datur quantum lupinus ex mellis ligula et aquae cyathis IIII.

Ad renum tumorem et dolorem facit eadem et ad iocineris et ad lienis tumorem, ad eos, qui mali coloris propter haec vitia sunt, item aquae mutationes: croci ℥ p. X, nardi Indicae ℥ p. II, cassiae ℥ p. II, costi ℥ p. I, schoeni ℥ p. I, cinnami ℥ p. I, myrrhae stactes ℥ p. I, mellis optimi ℥ p. XXV. datur quantum fabae Aegyptiae magnitudo ex mulsi cyatho mixto aquae duobus vel mulsae aquae cyathis tribus.

CXLV. Si cui autem lapis in renibus innatus fuerit et urinam non faciet, medicamentum his rebus fieri debet: petroselini pondo —, anesi pondo —,